

E P I T O M E.

Res a Suleimano in Perside gestas continet. In Italia, cum ad ceteras domesticas clades dolor quoque ex Octavii Farnesi de occupanda Parma consilio accessisset, morbo ob aegritudinem correptus Paullus III. e vivis excessit. Paullus-Maria Montius Pontifex Maximus creatus est, qui Julius III. appellatus. Quae oppida in Numidia Dragutes archipirata ceperat, iis ab Andrea Auria, Caesaris iussu, exutus est. Hinc novi inter Cae- sarem, ac Suleimanum belli iacta semina. Venetorum cum Turcis controversiae de agri Jadertini finibus in Illyrio tan- dem, novem & quadraginta pagis Reipublicae restitutis, Aloysii Rheynerii opera direptae. Stephanus Ungariæ Regis ad- buc pueri tutoribus inter se dissidentibus, cum Turcarum au- xilia alter implorasset, alter ad Ferdinandi Romanorum Re- gis opem configisset; in spem Caesar venit, fore, ut Dacia a Ferdinandō fratre occuparetur. Ad continentos in officio cives, arx a Caesare Senis exstructa est. Farnesiis ad Gal- liae Regis amicitiam conversis, turbae in Italia exortae. Se Pontifex Caesari conjunxit. Utrumque magni belli apparatus facti. Multa, ne Italiae pax inturbaretur, Venetis maxime in id incumbentibus, agitata. Cum Caesareani infensum ag- men Paruae admovissent, abruptis pacis consiliis, ad arma concursum est. Calorum deditio Caesareani recepere. Interea Sinanes, turcicae classis praefectus, in Siciliam delatus, expo- sitis copiis, Augustam urbem incendit, arcem cepit, ac diri- puit. Inde in Melitam insulam populabundus exscendit. Gau- lum prope a Melita dissipatum vi cepit. In Africam cum tra- jecisset, Leptim, Religionis Hierosolymitanae oppidum, arctissime circumfessum, ad ditionem compulit. Turcarum, quod Gallis sociati essent, metu Pontifex pacis consilia animo volu- tare coepit, Caesar ab ea palam deterrente, Gallis ad eam se pronos simulantibus. Ferdinandus Dacia universa singulari fortunae favore potitus est. Foedus inter plerosque Germaniae Principes, atque Henricum Galliae Regem contra Carolum V. percussum est. Salernitanus Princeps a Caesare defecit. Mul- ta a Germanis foederatis praeclare gesta. Pontifex in biennium inducias cum Gallo pactus hac lege est, ut copias a Parma, ac